

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Dissertationum Medicarum De Connubio Astrææ Cum
Apolline, Circa Medicinam Forensem**

De Inspectione Cadaveris In genere

**Emmerich, Georg Emmerich, Georg
Regiomonti, 1710**

VD18 1310747X-001

§. XXIII.

urn:nbn:de:gbv:45:1-8856

§. XXIII.

Qværitur IV. Num unus vel plures Medicorum ac Chirurgorum ad inspiciendum cadaver requirantur, & cuinam, si lis oriatur, plus credendum sit?

Resp. Unus quidem in arte exercitatus Medicus ad inspiciendum cadaver sufficit, ast si plures adfuerint, eò melius & confidentius rem suam peragere poterunt, plus enim vident oculi quam oculus, & alter alterum juvare poterit; hinc etiam unum saltem vel plures, si haberiposunt, Constitutio Carolina requirit, unicus etiam Chirurgus absque Medico sufficeret, si de ejus peritiâ hac in parte satis constaret, sed cum hæc rara avis esse soleat, vix uni soli chirурgo officium hoc committitur, sed Medicus semper addi solet & debet, ne Inquisitus ansam habeat dolendi & conquerendi de imperitiâ chirurgi aut de inspectione ob absentiam Medici minus legali. Medicus autem qui actui huic inspectionis cadaveris interesse volunt, sint requisiti, rogati ac vocati, hinc communiter etiam in attestatis suis præmittunt formulam: Præviâ requisitione hujus vel illius. Turpè enim Medico, vel chirurgo, uti in aliis ejus actionibus, sic & hic non exspectare vocationem, sed ultrò se immiscere arduo ejusmodi negotio, ubi de vita ac corio agitur humano, vix hinc πλυπαγμόν vitium effugiet, si aliter fecerit. Quodsi tamen curiositatis gratiâ, ut aliquid addiscat, per dies vitae enim artem ediscere & satis excolere aut perfectissimum sese reddere nequit medicus, ars enim longa vita brevis sec. Hippocr. aph. i. utique inspectio ac sectioni adesse poterit, dummodo non active sed passivè sese habeat, non Inspectorem sed Spectatorem agat, judiciumq; suum, nisi requisitus, de alterius actione suspendat, nec enim privato super privatum dictatura est concessa.

C 3

§. XXIV.

A



§. XXIV.

Sed evenit s^epius, ut Medicus a summis judiciis vel inferioribus ad inspectionem ablegetur, a parte Rei autem, vel Inquisiti aliis Medicus adhuc ad rit^e inspiciendum corpus vulnerati invitetur, quod propitio jure fieri potest, illius enim Autoritati nihil derogatur, cum in re sanguinem humanum concernente omnem respectum & autoritatem leponere debeamus; nec in re tam ardua nimis cauti ac providi esse queamus, Rei etiam maximè intersit, cum de vita ejus agatur, ut inspectio accuratè peragatur, veritasque rei elucescat, ne infons opprimatur. Medici tamen hi in Inspectione amicè consentiant, in Relatione non varient, speciem facti unanimes referant, cum ante oculos ipsorum sit positum cadaver, & tam diu inspicere possint, donec in descriptione vulneris convenire possint, licet postea in judicio de vulneratione formato dissentire queant, in quo casu a parte peritioris stare, Autores statuunt; Ast cum difficile sit, peritiam unius præ altero dignoscere, plerumque integris collegiis ac Facultatibus Medicis res ad decidendum committitur. In genere tamen chirurgi testimonium balneatoris vel pharmacopoei, vel carnificis interdum testimonio prævalebit, uti Medici attestatum præstabit chirurgi testimonio, cu pro illo major præsumtio sit, quod in arte sit magis versatus & excellat quam chirurgus, qui Medicinæ minister, Medicus autem Director operationum chirurgicarum audiat. Conf. Bohnius in Tract. de Renunc. Vulnerum Lethal. c. 15. Ecquid hoc in passu in Casu nostro contigerit, sequentes referent Disputationes.

§. XXV.

Quæritur Vtò. Quomodo autem Medicus debet esse comparatus, ut rectè Inspiciat & rit^e depónat?

Resp. Peritus sit oportet, id superius multoties audiimus, Peritia hæc in exactâ notitiâ partium corporis humani, deno-

